



**Caput i.** Verbum est Deus, vita, et lux omnem hominem illuminans; per quod omnia facta sunt, et quod homo factum est; cui testimonium perhibet Joannes, dicens se vocem, et indignum qui illius solvat corrigiam calceamenti, cumque esse agrum Dei qui tollit peccatum mundi; Andreas alter duorum Joannis discipulorum qui Jesum secuti sunt, adducit ad illum etiam Simonem fratrem suum: Philippus quoque a Jesu vocatus, adducit ad eum Nathanael.

**I**n principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum:

5. Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

6. <sup>a</sup> Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.

7. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

9. <sup>b</sup> Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

11. In propria venit, et sui eum non receperunt.

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus:

13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

14. <sup>d</sup> Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae, et veritatis.

15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

16. <sup>e</sup> Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.

18. <sup>f</sup> Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

19. Et hoc est testimonium Joannis, quando missus Judaei a Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit: et confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso?

23. Ait: <sup>g</sup> Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaia propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?

26. Respondit eis Joannes, dicens: <sup>h</sup> Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. <sup>i</sup> Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: et tunc ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

29. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.

31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: <sup>j</sup> Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.

33. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem,

<sup>f</sup> 1 Tim. 3. 16, 1. Joann. 4, 12.

<sup>g</sup> Is. 40, 3. Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Luc. 3, 4.

<sup>h</sup> Matth. 3, 11.

<sup>i</sup> Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. Act. 1, 5 et 11, 16. et 19, 4.

<sup>j</sup> Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 22.

<sup>a</sup> Matth. 3, 1. Marc. 1, 2.

<sup>b</sup> Infr. 3, 19.

<sup>c</sup> Hebr. 11, 3.

<sup>d</sup> Matth. 1, 16. Luc. 2, 7.

<sup>e</sup> 1 Tim. 6, 17.